

ergo ratio ad probandum hoc esse possibile, in eo fundatur, quia contradictionem non implicat. Et ad probandum non implicare, potest duci argumentum, vel ex solutione rationum, quæ impossibilitatem conantur ostendere; vel ex similibus exemplis, quæ similem communicationem admittunt. Et quidem solutio rationum, si qua datur, circa corroborationem rationis, quam quæ pro contraria sententia afferetur, melius applicabitur. Exempla vero deducuntur: tum ex unione divinæ essentialis in ratione speciei intelligibilis cum intellectu beati; tum ex unione in esse Verbi, seu conceptus formalis; tum denique ex unione personalitatis, et subsistentiæ ad naturam. Quibus exemplis suppositis, et admissis, quia tertium exemplum est de fide, primum est communis sententia inter theologos, et secundum admittitur a Thomistis, et a nobis probatum est 1 tomo, 1 part. disput. XIII, artic. v. His ergo exemplis suppositis, formatur difficultas in hunc modum. Si repugnat intellectionem Dei communicari intellectui creato, aut est, quia intellectus est operatio emanans ab intellectu, et divina intellectio non potest emanare ab intellectu creato; vel quia se habet per modum formæ inhærentis, cum sit actio immanens, et de se intellectio est actuans, et ipsum esse intelligentis in genere intelligibili; Deus autem non potest informare rem creatam: vel denique est, quia intellectio est operatio vitaliter procedens ab intellectu, et intellectus efficienter emittit illam; de ratione autem vitalis operationis, et vitaliter operantis, est monere se ipsum, quod non potest facere respectu operationis divinæ. Sed omnes istæ implicationes non obstant, et ex allatis exemplis infirmantur; ergo.

XVII. Minor probatur: primo in

generali; deinde in speciali, discurrendo per omnes illos modos. In generali quidem, quia species intelligibilis, et subsistentia, si creatæ sint, informant cum imperfectione, scilicet, species intelligibilis inhærendo, subsistentia vero informando; et tamen istæ imperfectiones, non est necesse quod interveniant, quando per divinam suppletur, eo quod non sunt istæ imperfectiones de conceptu essentiali speciei, et subsistentiæ, ut abstrahit a creatâ, et creatâ; ergo similiter, licet intellectio prout creatâ dicat illas imperfectiones inhærendi, vel procedendi, tamen ut abstrahit a creatâ et increata non dicit illas, si quidem in Deo sine illis invenitur, et consequenter poterit ab increata intellectione suppleri. Nec enim est major ratio, quod intellectio dicat ex suo formali conceptu ita intrinsecam imperfectionem, quod non possit suppleri per intellectionem increatam, et species intelligibilis, Verbum, et subsistentia, eam non dicant: in hoc enim non apparet ratio aliqua differentiæ; præsertim si verum est, ut statim probabitur, quod de ratione intellectionis non est ratio originis, et processionis ab intellectu, nec inhærentia ut accidens, sed actualitas ultima, tamquam esse quoddam in genere intelligibili, sicut in Deo est, licet in nobis sit esse caccidentale, ut operatio, ideoque inhærens, et procedens. Omitto quod in Deo formalissime sunt idem species, et intellectio, essentia, et intelligere, ut D. Thomas docet 1 p. q. XIV, art. IV. Ergo si unitur essentia in ratione speciei, etiam uniri poterit in ratione intellectionis. Nec potest intelligi, quod uniat id quod formalissime est tale, et non uniat id illud tale: quod si unitur; ergo effectum formalem præstabit.

XVIII. In speciali autem discurre potest ad probandum nullam illarum

implicationum obstare. Non prima, quia ut docet S. Thomas 1 p. q. XXXIV, art. 1 ad tertium, intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ; ergo intelligere non consistit in processione per modum originis; sed in informatione. Et patet hoc etiam in intelligere divino, quod non dicit processionem, et originem, sed actualitatem ultimam in genere intelligibili, non tam informantem, quam constituentem ipsam intellectualitatem Dei. Patet etiam in intelligere creato; tum quia philosophus dicit in tertio de anima quod: « Intelligere est quoddam pati, » et sic non consistit in processione, seu actione, sed in informatione; tum quia non repugnat intellectionem Petri, transferri a Deo ad intellectum Pauli, ita quod illi inhæreat, et ab eo dependeat, et tunc reddet intellectum Pauli intelligentem, quia præstat illi effectum formalem suum, qui utique est effectus formalis intelligendi; ergo reddet intelligentem, licet non procedat ab intellectu.

XIX. Item secunda implicatio nihil obstat: nam divina essentia unitur intellectui beatorum, et informat illum, suppletque munus speciei in illo; ergo etiam poterit uniri, et informare in ratione intellectionis, et actus secundi: aut saltem repugnantia, et implicatio non erit ex impossibilitate actuandi, et informandi per modum formæ, quod pertinet ad hanc secundam implicationem. Antecedens communiter admittitur a theologis in materia de visione Dei, et nos probavimus 1 tom. 1 p. disput. XIII, ostendentes esse impossibilem speciem creatam representantem Deum immediate,

ut est in se, esse autem possibilem visionem claram Dei ut est in se, quæ sine ministerio, et munere speciei intelligi non potest: ergo oportet, quod ista species, et informatio, seu actio pertineat ad speciem increatam, et hæc est ipsa essentia divina, quæ per se in actu est intelligibilis, respectu cujuscumque intellectus. Consequentia vero probatur, quia non apparet, cur essentia divina in ratione speciei possit informare, seu actuare intellectum, et non possit in ratione intellectionis. Si enim species dicatur esse forma objectiva; non inhærens ex natura sua, sed tantum terminans, sicut etiam subsistentia, et existentia.

XX. Contra hoc est, quia etiam intellectio potest dici, quod sufficit quod informet terminando, non inhærendo, cum intellectio sit de se actus secundus, seu actus ultimus, sicut ipsum esse, seu existentia in genere intelligibili; ideo enim existentia entitativa terminat, quia est actus ultimus: ergo si in genere intelligibili intellectio est actus ultimus, in eodem genere informabit terminando. Ergo ita suppleri potest a Deo ejus informatio, sicut informatio speciei. Et idem argumentum fit, quia subsistentia, et existentia, quæ actuant, et informant naturam, reddendo formaliter existentem, et subsistentem terminando, ergo etiam intellectio divina poterit informare terminando, et reddere intellectum formaliter intelligentem. Et præsertim urget exemplum de specie intelligibili, quia se habet ut comprincipium influxus intellectus in suum actum, ergo est comprincipium vitalis influxus; ergo informat intrinsece tamquam vitale principium, a quo vitalis actus sumit speciem; ergo si totum hoc supplet Deus, cur non poterit suppleri informationem intellectionis?

XXI. Denique tertia implicatio

non obstat; tum, quia intellectio, licet sit vitalis operatio, non tamen se habet ad suum principium, nisi ut ad causam efficientem: Deus autem potest se solo supplere vicem causæ efficientis; ergo poterit supplere influxum intellectus circa intellectionem, et se solo illam operari, et in intellectu ponere; tum, quia in sententia Thomistarum a nobis admissa 1 tom. 1 p. disp. XIII, art. v, Deus non solum supplet in beatis speciem intelligibilem, sed etiam verbum, seu speciem expressam. At verbum in nobis, seu species expressa, est terminus vitaliter procedens; ergo potest Deus se solo supplere terminum vitalis processionis; ergo etiam vitalem operationem: nec enim minus essentialiter postulat terminum vitalis, ut vitalis, procedere a principio vitali, quam operatio ipsa; sicut filius non minus postulat procedere a patre, quam generatio.

XXII. Aliquæ etiam auctoritates inducuntur, quæ parum roboris habet. Ut quod Augustinus dicit 1 de Trinitate, capite ultimo: « Quod secundum illam visionem Deus bonus est, secundum quam visionem apparet mundis corde. » Ergo visio illa qua apparet, increata est, quia illa Deus bonus est. Et ibidem ait: « Quod sola illa visio, quæ sanctis promittitur, qua contemplabimur Dei substantiam, summum bonum nostrum est. » Nihil autem creatum est summum bonum. Dicit etiam Augustinus lib. VIII de Genesi ad litteram, c. XXVII: « Quod Deus per suam substantiam præbet locutionem Angelo; » ergo manifestat se Angelo per suam substantiam, non mediante aliquo creato. Ergo sentit, quod manifestatio Dei in Angelo, non est aliud ab ipsa substantia Dei.

XXIII. Nihilominus dicendum est implicare, quod intellectio divina communicetur intellectui creato,

ita ut reddat illum formaliter intelligentem. Et dicere, quod de facto sic communicatur beatis, communiter nota censuræ inuritur a theologis, licet non æque convenient in censura. Censuras refert Ægidius a Præsentatione lib. IV de beatitudine, q. I, art. II, §. XLI; Medina illam damnat ut hæreticam, Zumel ut periculosam in fide, subscribitque illi Suarez, Gregorius. Martinez hic quæst. III, art. IV, dub. I, conclus. II, dicit esse contra fidem, aut temerariam; Ægidius ipse solum temerariam, quia contra unanimum theologorum consensum sine sufficienti fundamento, non tamen esse contra fidem. Sequitur Curiel tractatu de essentia beatitudinis, q. IV, §. V; Vazquez hic disp. VII, c. II, licet expresse non dicat, quam censuram mereatur hæc sententia, tamen ex verbis Leonis papæ adductis in sexta Synodo, actione XVII, et ex definitione Concilii Viennensis requirentis lumen gloriæ ad visionem beatificam, existimat aperte confutari.

XXIV. Certe ego in locis, quæ afferuntur sive ex Scriptura, sive ex Conciliis, non video expresse et aperte contineri hanc propositionem in terminis, quibus nunc disputatur, sed in alio sensu longe diverso; existimo tamen per consequentiam deduci satis manifeste, ex locis Scripturæ, et definitionibus Ecclesiæ, et sic assertionem illam quæ diceret de facto visionem divinam communicari intellectui beato, plusquam temerariam existimo, scilicet, vel erroneam, vel errori propinquissimam. Prima pars probatur, quia Scriptura solum significat nos visuros Deum facie ad faciem, ut est in se, et ibi habituros vitam æternam: sed qui dicunt visionem ipsam Dei communicandam beatis, non negant ipsos visuros Deum, et habituros vitam æternam, non propria

operatione a se elicitæ, sed a Deo communicatæ; ergo non negant loca Scripturæ expresse, sed salvant. Similiter Concilia, et auctoritates pontificum non definiunt quæstionem hanc in terminis, quibus nunc disputatur. Nunc enim solum tractatur, an communicetur operatio, et visio divina loco operationis a nobis elicitæ, sicut communicatur personalitas Verbi loco creatæ; et divina essentia, loco speciei.

XXV. Quod vero Concilia et patres dicunt, solum tangit hæresim Macarii, et Monothelitarum, qui dicebant in Christo unam esse operationem, et unam voluntatem, confundentes divinam, et humanam; aut ponendo Verbum loco animæ, vel loco intellectus in Christo, ut Apollinaris: ita quod divina virtus Verbi, loco humanæ formæ, et virtutis, actiones ejus efficeret. Et hoc modo negant patres communicatam fuisse operationem increatam animæ Christi, scilicet confuse, et indistincte, quasi operationem propriam, naturalem animæ per formam divinam ageret, non per creatam. Unde in sexta Synodo, ubi hæresis ista condemnata est, sic dicitur actione IV et VIII: « Duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inconfuse, inseparabiliter in eodem Domino Jesu Christo vero Deo nostro glorificamus, hoc est divinam operationem, et humanam operationem. » Et ad hoc ipsum adducitur actione XVII, auctoritas Leonis papæ in epistola ad Flavianum: « Quod agit utraque forma in Christo, cum alterius communionem, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est. » Quod auctoritates manifestant operationem humanam Christi, non esse confusam cum divina, nec operari per formam Verbi, quod proprium est hominis. At vero quod manente

operatione humana distincta, in aliqua peculiari operatione, qualis est visio Dei, uniatur, et communicetur ipsa Dei intellectio intellectui creato, loco propriæ operationis, Concilia, et patres non dicunt.

XXVI. Quod ex Concilio Viennensi affertur de indigentia luminis gloriæ ad elevandum intellectum ad videndum Deum, non probat visionem divinam non communicari beatis; sed non communicari, nisi elevatis per lumen gloriæ, quasi lumen elevet ad videndum, id est, ad recipiendam visionem, sicut nunc elevat ad recipiendam speciem. Affertur etiam definitio Benedicti XII, circa visionem divinæ essentiae in animalibus plane purgatis, ubi dicit pontifex: « Quod visione, et fruitione divinæ essentiae, anima fit beata, quodque illa visio perpetua erit, et absque ulla interruptione. » De quo tamen loco, quantum probet, ex ponderatione verborum pontificis, ut continentur in suo originali, infra videbimus. Denique in Concilio Tridentino, sessione sexta, definitur operari nostram voluntatem cum divina gratia, nec se habere, ut inane quoddam. Sed ex hoc non sequitur, quod in gloria non operetur operatione sibi unita et communicata, non elicitæ. Omitto definitionem quamdam Concilii Basiliensis sessione XII, contra quemdam Augustinum de Roma archiepiscopum Nazarenum, qui inter alia dicebat, animam Christi tam intense, et clare videre Deum, sicut ipsum Verbum. Hæc enim definitio nihil tangit de communicatione divinæ intellectio- nis, sed de purificatione in videndo Deum ex parte animæ Christi cum Verbo, quasi ipsum comprehendat, hoc enim non sequitur etiamsi communicetur operatio divina, quia communicaretur finito modo, sicut nunc species intelligibilis divinæ essentiae.

XXVII. Nihilominus secunda pars nostræ resolutionis probatur, tum theologico argumento, ex una de fide, et altera nota lumine naturali: et deinde ex ponderatione duplicis auctoritatis, quæ omnino in hanc partem ponderant, nisi a proprio, et genuino sensu distrahantur. Theologicum argumentum est; quia Scriptura dicit nos visuros divinam essentiam tali visione, quæ sit vita æterna, ut patet Joannis xvii: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*: I Joan. iii: *Videbimus eum sicuti est*: Apocalyps. ultimo: *Videbunt faciem ejus semper*. Sed visionis nomine, et cognitionis nomine, intelligitur operatio elicita a cognoscente, et vidente, et talis operatio qualis apud nos definiri solet, quod visio est actus vitalis procedens, et elicited a potentia vidente. Nam si non est talis visio illa, quæ promittitur in futura vita, nihil certi acciperemus per illam promissionem visionis, cum revera visio increata Dei non sit visio elicited a nobis, nec visio nostra in proprietate, sed alienæ visionis communicatio. Tali quippe argumento convincit D. Thomas in additionibus ad tertiam partem, q. lxxv, art. ii, quod si lux corporis gloriosi esset alterius speciei, nec posset ab oculo videri, esset lux æquivoce, et sic nihil nobis notificaretur per hoc, quod corpora beatorum dicerentur futura esse lucida. Similiter cum promittitur nobis visio, et cognitio Dei in patria, si illa visio non esset a nobis elicited, et visio creata, sed ipsa increata visio Dei communicata nobis, æquivoce diceretur visio cum visione nostra, ut pote non elicited sed recepta, non creata sed increata, licet suppleret visionem nostram: sicut lux illa alterius speciei, quæ poneretur in corporibus gloriosis suppleret claritatem nostræ lucis, sed esset æquivoce lux. Non est autem

dicendum quod visio, quæ nobis promittitur in cælo est æquivoce visio, quia sic nihil nobis notificaretur nomine visionis; præsertim cum dicat Apostolus I ad Cor. xiii: *Tunc cognoscam, sicut cognitus sum*; sed modo cognitus sum cognitione propria, et elicited a cognoscente; ergo etiam tunc cognoscam cognitione propria, et a cognoscente elicited; non impropria, et æquivoce dicta, sicut est cognitio recepta, et communicata, non elicited.

XXVIII. Auctoritates autem, quæ efficaciter hoc videntur probare, sunt duæ: altera est in sexta Synodo, actione quarta, ubi primum relecta est epistola Agathonis papæ ad imperatores Constantinum, Heraclium, et Tiberium; ubi multis auctoritatibus probans pontifex, non esse in Christo unam tantum operationem divinam, sed etiam aliam humanam, ad id etiam adducit auctoritates Augustini in quinto libro contra Julianum, quibus affirmat voluntatem esse animi motum, et quod talis voluntas ab eo est, cujus est voluntas, ab Angelo scilicet, voluntas Angeli; ab homine hominis; a Deo Dei. Et quod si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id agit, ut oriatur ab illo bona voluntas: his et aliis testimoniis recitatis subdit Agatho: « Quibus testimoniis claret, unamquamque earum, quas his spiritualis pater denumeravit naturas, propriam naturalem habere, et unicuique assignari debere voluntatem. Neque enim poterit angelica natura, divinam habere voluntatem, aut humanam: neque humana voluntatem Dei, vel Angeli, sicut nec alterius, quam est quisquam, naturalem habere poterit motum, nisi qui est naturaliter, aut creatus est. » Ita pontifex. Quibus verbis manifeste excludit motum, seu operationem alterius, posse alicui convenire, etiam ipsius Dei,

ita quod voluntas Dei dicatur esse ipsius hominis. Et sumit voluntatem non pro facultate, et principio volendi, sed pro motu animi, seu operatione (ut patet in verbis allatis) quam utique dicit non posse alteri convenire, ita ut voluntas, seu operatio voluntatis Dei sit in homine, vel Angelo. Hanc ergo voluntatem vocat Agatho propriam, et naturalem, id est, ab ipsa reali, et naturali vi ortam, et unicuique naturæ convenire suam voluntatem, probat; quia: « Non potest, inquit, angelica natura divinam habere voluntatem, aut humanam. »

XXIX. Quæ probatio nulla esset, si non solum posset, sed de facto communicata esset operatio divina homini, vel Angelo in visione beata; vel si supernaturaliter posset Deus communicare operationem suam animæ, vel Angelo. Nam Agatho utitur illa probatione, et illis auctoritatibus Augustini, ut convincat hæresim Monothelitarum ponentium in Christo unam tantum operationem, scilicet divinam, loco humanæ, quæ est in aliis hominibus. At constat, quod si in Christo esset tantum operatio divina loco humanæ, id non esset naturaliter, sed supernaturaliter, et ex vi hypostaticæ unionis; ergo vel Agatho non probat aliquid contra illos hæreticos, vel probat supernaturaliter non convenire voluntatem divinam Angelo, vel homini: nec enim ipsi dicebant, quod naturaliter in Christo erat voluntas divina loco humanæ, sed supernaturaliter. In eodem ergo sensu procedit Agatho, et probat nec supernaturaliter communicari operationem divinam creato intellectui: aut nihil contra hæreticos probat. Unde perperam Ægidius, ubi supra art. ii, §. iv, num. xlv, dicit Agathonem non docere, quod supernaturaliter non possit homo intelligere per operationem Dei, quia id ejus

instituto non serviebat, sed solum quod actio Dei non potest naturaliter esse homini, vel Angelo. Sed si perpexisset Ægidius, potius videret, instituto Agathonis non deservire, quod naturaliter non habeat homo operationem Dei, quia hæretici, contra quos agit Agatho, non dicebant Christum habere tantum operationem divinam naturaliter, sed supernaturaliter, quia ex vi unionis hypostaticæ eam ponebant in anima Christi, non ex natura rei. Ergo non serviebat instituto Agathonis illam hæresim impugnantis, probare quod naturaliter non poterat divina operatio communicari homini, si poterat supernaturaliter.

XXX. Secunda auctoritas, quæ pro nostra sententia stat, ex definitione Benedicti XII in extravaganti Benedictus Deus, ubi definiens animas fieri beatas divina visione, et fruitione, sic inquit: « Quodque postquam inchoata fuerit, vel erit talis facialis, et intuitiva visio, vel fruitio in eisdem, ejusdem visio, et fruitio sine aliqua intermissione, seu evacuatione prædictæ visionis et fruitionis continuata existet, et continuabitur usque ad finale iudicium, ex tunc usque ad sempiternum. » Ubi pontifex necessario supponit visionem beatorum, non esse visionem ipsam increatam Dei illis communicatam, nisi cum magna improprietate loquatur. Nam dicit talem visionem esse inchoatam, et continuatam, nec interruptam, aut evacuatam usque in sempiternum. Visio autem increata non potest dici inchoata, aut continuata, quia est ipsa Dei substantia. Quod si dicatur, ipsam visionem increatam non inchoari, aut continuari in se, sed ejus communicationem, qua de novo communicatur beatæ menti, illa dicitur inchoari, et continuari, contra hoc est, quia pontifex dicit ipsam visionem facialem inchoari, et con-

tinuari. At improprie valde diceretur inchoari visionem, si in se non inchoatur, sed solum ejus unio, seu communicatio ad intellectum beati: sicut valde improprie vocaretur Persona divina, Persona inchoata et continuata, si solum ejus unio ad humanam naturam inchoata est; alias si Persona divina potest dici inchoata, posset dici de novo incipiens; idem est enim inchoari, et incipere. Personam autem Verbi dicere, quod est de novo incipiens, est Arianum, ut jacet, quia hoc dicebat Arius, Filium Dei aliquando incepisse, et quod erat quando Filius non erat; et sic communiter negant illam propositionem theologi cum D. Thoma III p. q. XVI, art. IX. Similiter ergo si visio beatifica est ipsa visio increata de novo unita, non potest dici inchoata visio, sicut nec Persona divina dicitur inchoata, licet sit de novo unita humanæ naturæ. At pontifex dicit esse visionem inchoatam; ergo non est increata visio de novo communicata.

XXXI. Hæc dixisse sufficiat pro censura sententiæ Ripæ et aliorum, qui increatam Dei visionem de facto communicari beatis censent; aut etiam eorum qui non in visione, sed operatione ponunt beatitudinem nostram formalem. Hinc vero gradum facimus ad expendendam implicationem hujus communicationis operationis increatæ, ut per eam reddi possit intellectus noster operans, et intelligens. Quam communicationem fieri non posse, communiter docent theologi cum S. Thoma III p. q. VI, art. I ad primum, et in hac quæstione III, art. I, ibi ejus interpretes communiter Cajetanus, Medina, Conradus, Porreca, Nazarius, Alvarez, Suarez I tom. III p. disput. XXIV, sect. II, Vazquez hic, disp. VII, c. VII. Plures citat Ægidius a Præsentatione, ubi supra art. II, §. II, imo fatetur doceri ab omnibus

theologis, uno vel altero excepto.

XXXII. Eam non leviter firmat argumentum theologicum supra deductum, et ponderatum ex verbis Agathonis papæ; quæ plane si aliquid contra hæreticos probant, omnino ostendunt, nec supernaturaliter posse divinam operationem Angelo, vel homini convenire. Intrinsecam vero hujus rationem, et causam tradidit D. Thomas tum in quæstione XX de veritate, art. I, in calce corporis; tum in quæstione IX citata III p. art. I ad primum. Priori loco sic ait: « Sicut divinitas non potest esse actus corporis, ut ea corpus formaliter vivat, vel rationalis creatura fiat: ita non potest esse actus animæ rationalis, ut ea formaliter sciens, vel virtuosa sit, sicut nos per habitum virtutis, vel scientiæ. » Posteriori loco sic inquit: « Dei intelligere est ejus substantia: unde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi, cum sit extraneæ naturæ. » In utroque loco non meminit S. Thomas processionis vitalis, quam habet operatio intellectus a potentia intelligente, sed solum formalis actuationis, quam divinitas ipsa, seu substantia Dei habere non potest in creatura, neque ut eam informet in ratione naturæ, et essentiæ, neque in ratione operationis et intellectionis. Nam quod non possit procedere a creatura per modum effectus, vel processionis vitalis, tamquam perse notum reliquit D. Thomas. Difficultas vero est in probando, quod sit de ratione intellectionis, seu operationis vitalis, vel processio in genere causæ effectivæ a suo principio vitali; vel informatio in genere causæ formalis, tamquam accidens inhærens, vel forma informans, ita quod hoc non possit suppleri immediate a Deo sine tali informatione, vel processione. Licet enim habemus ex Concilio Tridentino, justificationem nostram fieri per justitiam

nobis inhærentem, non per justitiam qua Deus justus est, et eadem ratio videtur esse de beatitudine, quæ est justitia consummata; tamen Concilium non loquitur de eo, quod potest esse de potentia absoluta, sed de justificatione, quæ de facto est: quæstiones enim istæ de potentia absoluta, non tam ad conciliaria dogmata, quam ad disputationes scholasticas pertinent.

XXXIII. Quare explicando D. Thomæ rationem, dicimus implicationem hujus rei reduci ad repugnantiam, quam habet quæcumque divina perfectio ad informandum in genere causæ formalis quamcumque creaturam, et multo minus ad informandum per modum formæ vitalis, seu formæ vivæ, quæ ultra communem rationem informandi, et actuandi cæterarum formarum, dicit etiam intrinsecum ordinem ad principium vitæ a quo vel debet procedere, si sit operatio distincta ab operante; vel debet identificari cum illa, si non sit operatio distincta, et procedens ab operante, sed sit mere actus secundus, seu ultimus illius, ut intelligere in Deo. Intellectio autem, seu ipsum intelligere si communicatur creaturæ, sic debet communicari, ut constituat illam actu viventem, et intelligentem per illam, quod sine informatione vitali nequit intelligi. Quare duas propositiones solum oportet probare in hac implicatione. Prima quod: Omnis informatio Deo repugnet. Secunda quod: Intelligere, seu intellectio, non nisi informando, vel etiam procedendo ab intelligente possit intelligentem reddere: imo universaliter nulla actio potest operantem constituere, nisi ab eo procedendo, vel ipsum actuando.

XXXIV. Prima propositio manifeste est ex ipsa ratione propria informationis, seu causalitatis formalis, quæ intrinsecam imperfectionem

involvit, cum sit principium intrinsece constituens aliquod totum, quod ex tali forma, et subjecto, seu materia resultat. Unde non potest talis causalitas formalis convenire actui puro, sed actui, qui potest conjungi alicui subjecto, et potentialitati, eique commisceri, et cum ea componere; hoc enim est de ratione formæ informantis, quod per suam conjunctionem ad alterum, reducat illud de potentia ad actum, et sic constituat unum tertium, sive substantiale, sive accidentale, quod sit majus ipsa forma, seu actu informante, quia omne totum est majus sua parte. Omnis autem forma informans est pars respectu totius, quod constituit, et componit, et est actus non purus, sed potentialitati mixtus respectu ejus potentialitatis, quam informat, et in actum reducit; si quidem est actus conjungibilis potentiae, ex qua conjunctione talis actus limitationem, et imperfectionem aliquam contrahit, quam non habet actus per elongationem, et separationem a potentialitate. Et quod sit de ratione formæ informantis conjungi potentialitate, et actuare illam, ac reducere de potentia ad actum, manifestum est: cum informatio ad hoc ordinetur, ut formetur, et perficiatur id, quod informe est, seu formatione indigens. Quod autem forma indiget in potentia est, ut formetur, et actuetur. Et sic forma informans, est actus conjungibilis potentialitati.

XXXV. Cæterum adhuc hoc non sufficit, ut ostendatur Deo repugnare rationem formæ informantis, quia urgent duo exempla supra allata, si quidem conjungitur, et unitur Deus in ratione personalitatis, et subsistentiæ, simulque in ratione speciei intellectui, et tamen constat, naturam esse in potentia ad subsistentiam, et intellectum ad speciem; nec tamen est impossibilis